



**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

Avdomarvs Episc. 9. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](#)

SEPT. *Vita Sanctorum.* 493  
obtulit pullas, quibus & FILIVM  
patientem & viduam MATREM  
ligerent. BONFILIO deinde ad  
pileum voce cælesti evocato testimo-  
nium sanctitatis in vultu splendor, in  
toto corpore odor dixerunt, & justa  
hominibus permixti Cælitæ illis ver-  
bis cecinerunt; *subvenite Sancti DEI*  
& exaudite. Tales exequias servi VIR-  
GINIS merentur, alias sperate quilibet,  
qui libertini amatis audire. Ex  
*Ordin. ipsius monum.*

S. AVDOMARVS EPISC.  
9. Septembri.

Cœpit AVDOMARVS tunc  
vivere, cum desit mater; quando  
numirum à morte hujus cum patre  
mori mundo inter Ascetas occepit. Iu-  
cundum credo videre cælo erat, patrem  
una & filium in eadem virtutis scholâ  
discere, miraculo eo majori, quod ad  
hanc filius patrem duxerat. Quid jam  
mirum, si inira alia quam plurima pa-  
travit AVDOMARVS, si radiare  
è ligno crucem, si exsurgere è lectulis  
ægros, è vinculis captivos jussit? Nos  
duo tantum scribemus, quorum pueri  
unum, alterum bis pueri senes legant.  
Episcopus jam Morinensis adolescenti  
interdixerat, ne cymba in aquis lude-  
ret. Risit ille, & lusit. Sed in obsequen-  
tiam venti fluctusque in altum, inde è

I i 3

Gal-

494 *Vitæ Sanctorum.* 10. SEPT.

Gallia in Saxoniam usque ejecerunt, & ut contra immorigerum conjurasse cùm aquis terram agnosceret, latrones in littore venientem præstolabantur. Quid ageret sine velis, sine remis puer nauta? Nempe remi preces, vela divi apud D E V M A V D O M A R I merita fuerunt. His ille in patrium portum inventus nauilum Navarcho suo obsequium dehinc persolvit. Hic cùm amissos senio oculos ad D. Vedasti tumulum recepisset, mox facti poenitens cùm non videret, an ex re animi esset videre, precatus est D E V M, iterum eriperet, si noceret, lumen. Eripuit, & in calum abituro duces Angelos misit. Ibi ille cœcus nunc DEVM videt.

*Ex Surio.*

S. SALVIUS EP. 10. Septembri.

MERITO hodie plaudimus SALVIO, qui bellè omnes personas egit in eâdem vitæ fabulâ Index, Monachus, Abbas, Episcopus. Et ne eventus sive Comicos, sive Tragicos desideres, bis vivus, bis mortuus. Unicam scenam specta. Concluserat, cùm Abbatem exiisset, angustâ cellâ sese. Sed natus cælo animus libertatem morte quasi vit reperitque. Iam extulerant mortuum, jam tumulo inferebant, cùm è ferali capulo se tollens simul vivere iterum, simul vita illacrimari coepit.

Heu!